

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 57

In nomine sanctae individuaeque trinitatis. Otto divina ordinante providencia imperator augustus. Ad hoc nos divina potencia ad imperialis culminis provexit apicem, ut omnium maxime locorum divino cultui mancipatorum a frugibus consulamus, quatinus servorum dei ibidem vigilantium et orantium precatibus status imperii nostri serie tranquilla dirigatur et post huius temporalis vitae decessum felicitatis aeternae contubernium nobis non denegetur. Quocirca noverit omnium sanctae dei aecclesiae fidelium nostrorumque praesentium ac futurorum universitas Agelulfum virum sanctitate redimitum et omnino veneratione dignum abbatem nostrae dignitatis fastigium humiliter adiisse suppliciter postulando, ut coenobium in honore sanctorum apostolorum Simonis et Iudae dedicatum, in quo requiescit corpus sancti Wicberhti, in loco qui nuncupatur Herolfesfeld situm iuxta flumen, cui nomen est Fulda, in pago Hassiae, cui preesse deo auctore videbatur, cum omni suarum rerum et possessionum integritate suis vendiciis ubicumque legali ordine debitaram ab omni iure publico et omnium hominum, si qui aliquando fuerint eiusdem monasterii iuris qualicumque ratione participes, potestate liberum absolutumque nostra imperiali auctoritate redderemus, ea videlicet ratione, ut amodo in antea nemo episcoporum infra fines et territoria praefati coenobii aliquam ordinationem facere presumeret vel temerario ausu monachis ibidem pro tempore deo vota solventibus violentiam ingereret aut in abbatis electionem eo coacte induceret, sed ipsi monachi haberent liberam potestatem eligendi pro suo libitu abbatem, si aliquis forte in eodem monasterio ad huiusmodi operis exhibitionem dignus inveniretur; ad hoc posthac nullus imperator sive rex dux marchio comes vicecomes aut quislibet rei publice exactor seu quaeviis magna remissaque persona praefati coenobii res et familias in magno aut in parvo molestare, inquietare aut iudicare temptaret, sed omnia, quae ad idem monasterium pertinere dinoscerentur, potestati abbatis qui pro tempore fuerit subderentur atque eius censura iudicarentur. Igitur iam dicti Agelulfi venerabilis abatis precibus modum habentibus animo inclinati simulque considerantes eius sanctitatem et suaे fidelitatis magnitudinem, qua moltociens in nostris seriis desudare cognovimus, propensius tamen die omnipotentis amore et timore compulsi, a quo centesimum fructum, si quid fecerimus boni, eius preventiente gratia sumus recepturi, aequus sumus rati eius petitionibus non refragari. Quapropter iussimus illi hoc nostrum preceptum fieri et per eum suis posteris in perpetuum, per quod iubemus et omnino sancimus, ut omnia quae superius leguntur firma et inconvulsa habeantur, scilicet ut nullus episcopus potestatem infra praenominati monasterii fines et terminos habeat ordinandi aut eligendi, sed sicut iam dictum est, idem monachi alterna successione habeant licentiam eligendi de suis, prout eis visum fuerit. Preterea posthac nullus imperator aut rex dux marchio comes vicecomes aut aliquis rei publicae minister seu quaelibet magna remissaque persona de omnibus quae ad prefatum monasterium pertinent, tam rebus quam familiis se intromittere presumat, sed omnia iudicio et potestati abbatis qui pro tempore fuerit reserventur atque subdantur, omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur huius nostri praecepti violator extiterit, culpabilis solvere cogatur mille libras auri optimi, medietatem kamerae nostrae et medietatem suprascripto Agelulfo abbatи eiusque successoribus. Quod ut verius credatur diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes anulum nostrum inferius imprimi iussimus. Signum domni Ottonis serenissimi augusti. Ambrosius cancellarius advicem Huberti episcopi et archicancellarii recognovit et subscrisit. Datum XV. kal. mar. anno dominicae incarnationis DCCCCLXVIII, anno vero

imperii domni Ottonis serenissimi augusti VII, indictione XI; actum Beneventi ; in dei
nomine feliciter amen.